



Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorvm Libri Tres

Liber Secvndvs, Siue Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorvm
Detestationem, Per Qvadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 22. Iratus etiam animæ alterius exitium struit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](#)

timere ; qui vtique est Deus iustissimè eos applaudens in Acheron-
tem, qui illum non timent. Suprema hæc est potestas, neque com-
petit, nisi supremo iudici, soli, de jure, terribili & metuendo.

XXII.

**I R A T U S E T I A M
A N I M A E A L -
T E R I V S E X I -
T I V M S T R V I T .
P r o p . 2 1 . 1 9 .**

Affectant tamen eam potestatem, quos ira facit insanos. Nam ita nonnulli odijs exardescunt, vt , contra jus & fas, tentent, eo-
rum, quos occisissimos volunt, & animam, & corpus perdere in ge-
hennam : neque tentent tantum, verùm etiam re ipsa faciant. An
non hi meritò timendi, fugiendi, execrandi ? Si enim melius est ha-
bitare, in terra deserta, quam cum muliere rixosa & iracunda, quis
eum non declinet, qui non verba tantum ingerit, nec rixas modò
commouet, vt mulier, sed etiam necem meditatur ; & quidem ita
meditatur, vt non sit contentus occidere corpus, nisi vnà & anima
perdat in gehennam ? Quantæ iræ vindicta est, in homine, hominem
eiusdem secum naturæ, & ad eandem secum Dei similitudinem fa-
ctum, non hac mortali duntaxat vita priuare sed etiam vita priuare
sempiterna, eumque mittere ad Orcum, & ignes semper arsuros ?
Et tamen hoc faciunt multi, velut Tisiphone, aut Alecto aliqua, fu-
riati, non jam cacodæmonum imitatores tantum , sed etiam caco-
dæmones ipsi. Vultis & huius rei exemplum ? Innumera sunt quo-
tidie eorum, qui nihil pensi habent, siue ad cœlum, siue ad Orcum
ituros occidunt. Quin eò crescent odia, vt cum morte conentur
alteri inferre æterna supplicia, nullum vindictæ genus sufficiens ar-
bitrantes, nisi quod sit summum, & quodammodo infinitum. De
quo tam atroci, & verè diabolicae malitiaæ odio historiam fide, non
hominè dignam accipite.

XXIII.

**I R A E S V M M A E
E X E M P L U M .
C h a p i t r e d i -
h u i s t u m . &
I o . B o d i n . i n
d æ m o n o m a -
n i a & l i b . 4 . d e
R e p . c . 1 .**

In libro enim Gallico , cuius titulus est : *Traïtte prépareate al'*
apologie pour Herodote, recenset author facinus, de Italo quodam-,
quale vix credi potest, hominem cogitasse, multò minùs, exuta-
omni humanitate, perfecisse. Hunc Italum (Bodinus Mediolanen-
sem vocat) author ait, cum horine diu admodum familiari in dis-
sidium venisse. Illud, cùm paulatim gliseret, in odium excreuit
capitale. Magna incendia, nisi magna vi , non extinguntur ; ne-
que magna odia, nisi magnis vindictis, possunt saturari. Non ergo
contentus erat Italus ille, verbis increpare eum, à quo se opere &
facto læsum existimabat ; aut magistratui illum obijcere punien-
dum ; ipse & judex & vindex, & carnifex esse voluit ; & eum, modo
non.